

5

UNIVERSITATIS LITERARUM WRATISLAVIENSIS

H. T. R E C T O R

J. L. C. G R A V E N H O R S T

CUM SENATU

NOVI RECTORIS IN ANNUM PROXIMUM CONSTITUTI
CLARISS. VIRI

HENRICI STEFFENS

SOLEMNEM INAUGURATIONEM

DIE XIX. OCT. HORA XI.

IN AULA LEOPOLDINA CELEBRANDAM

I N D I C I T.

INSUNT MONITA QUAEDAM DE SPECIEBUS NIGRIS ICHNEUMONUM.

WRATISLAVIAE,

T Y P I S U N I V E R S I T A T I S.

MDCCCXXIX.

1914

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1914

1914

1914

1914

1914

1914

1914

1914

1914

1914

1914

1914

1914

1914

1914

1914

MONITA QUAEDAM DE SPECIEBUS NIGRIS ICHNEUMONUM.

Quo corpora naturalia ordine certo, secundum affinitates et similitudines suas, contemplari possemus, systemata inventa sunt, quae corpora ista in regna classes ordines familias et genera digesta et collocata exhibent. Atamen graviter falleremur opinantes, ipsam quoque naturam divisiones illas limitibus certis et distinctis definiisse. Tales divisiones autem necessariae sunt nobis, quorum sensus externi et interni nimis sunt hebetes quam quod ordinem divinum totum naturae et omnia corpora naturalia, simulque nexum istum intimum, quo illa inter se conjunguntur et sensim mutantur, uno quasi obtutu comprehendere et perspicere possimus. Multa sunt genera et species, quae, notis quibusdam illi familiae aliis autem alii familiae respondentia, medium quasi locum inter ambas occupant et ab uno illic ab altero huc collocantur, a tertio autem in familiam separatam intermediam colliguntur, prout sententiae scrutatorum naturae de momento praecipuo harum illarumve notarum discrepant; nulla enim lex, modo omnibus scrutatoribus sufficienti, limites generum et familiarum aut regulas, secundum quas genera et familiae condi et distingui debent, definivit nec unquam fortasse definit. Ratione specierum res secus se habet: Species est complexus individuorum, quae non solum inter se copula coeunt, sed quorum progenies quoque coitu fecundo inter se procreat. Haec definitio usque ad

nostra tempora de illis saltem animalibus valuit, quae nullo alio modo nisi copula, aut praegnatione ovorum femininorum per semen masculum, propagantur. Praetera autem quod omnia fere animalia ordinum infimorum nunquam coitum ineant, sed modo simpliciore, divisione corporis aut gemmis, e corpore pullulantibus, multiplicentur, numerus etiam observationum, definitioni isti respondentium, ratione multitudinis specierum in regno animali habita, nimis parvus est, quam quod definitio ipsa pro plene confirmata haberi possit. Nulla inter species fere innumerabiles insectorum lege ista nititur; omnes secundum similitudinem aut dissimilitudinem partium externarum corporis definitae sunt. Constat autem, regulas de eo quod requiritur ad speciem aliquam secundum notas externas determinandam, perquam vacillantes et arbitrarias esse; indeque fit ut nonnulli seriem longam individuorum, quae ab aliis in duas pluresve species dirimitur, ad unam eandemque speciem referant. Liceat mihi, species nigras generis Ichneumonum, in Ichneumonologia mea descriptas, hoc respectu recensere, indeque demonstrare quomodo plures earum in unam speciem conjungi possint.

Ex quo Ichneumones studio majore colligere et tractare inceperam, omnem operam navavi ut differentias, quae saepius in individuis unius ejusdemque speciei apparent, ad leges certas reducerem, e quibus forsitan, si duo aut plura individua ob oculos haberem, quae notis quibusdam inter se discrepant, colligere possem, utrum differentiae illae solummodo varietates unius speciei, an species diversas, designent; sed tales leges invenire nondum mihi contigit. Magnitudo corporis, picturae capitis antennarum thoracis et abdominis, ipsaeque formae et proportiones harum partium, variables sunt, ita quidem ut in nonnullis speciebus una tantum illarum varietatum se manifestet in aliis autem plures vel omnes. Exempli causa Ichneumon extensorius, infractorius, xanthozosmus, sputator, luctatorius, species sunt adeo variables ut inter viginti individua vix duo sibi omnino

similia sint, cum aliae species, inter centum individua, e regionibus diversissimis collata, nullam varietatem alicujus momenti exhibeant, e. g. *Ichneumon sarcitorius*, *vaginatorius*, *divisarius*, *arrogator*, *sartorius*, *grossorius*. In nonnullis speciebus ergo mutabilitas ipsa regula esse videtur, in aliis stabilitas. Fieri etiam posset ut quaedam individua, transitus et varietates inter duas species definitas exhibentia, copula spuria illarum duarum specierum orta essent, quod vero de his insectis admittere nollem, quippe quae perraro in copula reperiuntur, indeque stimulo sexuali haud adeo ardente incitari videntur, ut connubia spuria inirent. Quid tunc autem faciendum, si duo aut plura individua nondum descripta cujusdam generis ob oculos habeo, nonnullis notis, quae in multis aliis speciebus variant, inter se discrepantia? Quaeritur scilicet, utrum varietates unius speciei mutabiles sint, an unumquodque individuum pro specie peculiari haberi debeat? In rebus tam ambiguis eam secutus sum rationem ut individua ista vel disjungerem, si tam pictura quam forma partium quarundam singularum diversa erant, vel conjungerem; si inter se colore et picturis haud multum dissidebant, simulque vero forma et proportione corporis ejusque partium congruebant, sive forma unius alteriusve partis haud multum discrepabant, sed colore et picturis conveniebant. Cum vero sententiae de hoc agendi modo valde differant, forsanique sententiae aliorum veritati magis respondeant quam mea, haud renitar si alii entomologi nonnullas varietatum mearum pro speciebus genuinis habebunt, aut quasdam mearum specierum, inter se affinium, in unam speciem conjungent. His vero nunc exemplum talis conjunctionis propositurus sum, in speciebus nigris sectionum quatuor anteriorum familiae primae generis *Ichneumonum* meorum, cum jam plures entomologi de *Ichneumone molitorio* statuerint, eum colore et picturis antennarum, capitis, thoracis, scutelli et abdominis, variabilem esse, de quo velis conferre nostrae *Ichneumonologiae europaeae Partis I.* paginas 259 — 262.

1. I. MONTICOLA.

Magnitudine corporis, pedibus (imprimis posticis) longioribus et gracilioribus, segmenti primi parte antica minus globosa, sensimque in petiolulum abeunte, a reliquis speciebus affinibus, praesertim quoque a varietate tota nigra *Ichn. sputatoris*, cum qua haec species in Ichneumonologia comparata est, differt. — Conferatur n. 36.

2. I. COMITATOR, ALBOGUTTATUS, LEUCOCERUS.

I. alboguttatus a *comitatore* quidem differt antennis paulo gracilioribus, puncto albo infra alas, marginibus summis segmentorum 2 — 4 ferrugineis, punctoque dorsali marginali pallido segmentorum 3 et 4; cum vero multarum aliarum specierum individua, proportionem antennarum, punctis thoracis, abdomine vel toto nigro vel marginibus segmentorum coloratis, immo segmentis nonnullis totis coloratis, variant, hae duae species etiam conjungi possunt, nam puncta pallida marginalia segmentorum haud eo modo definita aut distincta sunt ut essentialia et constantia esse videantur — *Ichn. leucocerus* hujus speciei varietas esse potest scutello albo. De mare *leucoceri* autem adhuc dubius sum, quippe qui a femina *leucoceri* et *comitatoris*, parte antica segmenti primi convexiore et globosiore differt. Hac segmenti primi forma, nec non magnitudine, mas ille etiam ab *Ichn. nigritario* differt — Conferantur quae ad *Ichn. lineatorem* et *lugentem* monebo.

3. I. NIGRITARIUS, TENUICORNIS, NIGROCYANEUS, DOLOROSUS.

I. nigritarius forsitan mas est *Ichn. antecedentis* — *I. tenuicornis* ab illo differre dicitur statura crassiore et brevior, imprimis segmento primo brevior, nec non areola triangulari; sed varietas prima, forma et proportione abdominis et segmenti primi, medium tenet inter *tenuicornem* genuinum et *nigritarium*, ipsaque *nigritarii* individua variant abdomine angustiore et

latiore. Areola triangularis etiam in nonnullis individuis *nigritarii* conspicitur — *I. nigrocyaneus* statura magis congruit cum *tenuicorni*, antennis, apicem versus paulo crassioribus, cum *nigritario*, cujus varietas secunda, colore abdominis subcoerulescente, ad *nigrocyaneum* propius accedit — *I. dolorosus* varietas esse videtur *tenuicornis*, scutello et thorace albosignatis. In Ichneumonologia quidem *dolorosus* describitur antennarum articulis 10 — 13 albis, *tenuicornis* autem articulis 13 — 16 albis; sed exploratione iterata etiam in *tenuicorni* articuli 10 — 13 (haud 13 — 16) albi esse videntur, articulis nempe anterioribus, in medio paululum constrictis, plures articulos quasi mentientibus — Conferantur quoque quae ad *I. lineatorem* et *personatum* monebo.

4. I. PALLIFRONS.

Species peculiaris esse videtur. Conferatur *I. albimanus*.

5. I. FASCIATUS.

Hic Ichneumon, parte antica segmenti primi minus globosa, a speciebus cognatis differt.

6. I. LINEATOR, BILINEATUS, AETHIOPS, OPTICUS, MULTICOLOR F., FERREUS, TRILINEATUS, SCUTELLATOR, ALBICILLUS, RESTAURATOR, UMBRACULOSUS, ALBOSIGNATUS.

Ichn. lineatoris varietas tertia quodammodo medium tenet inter *lineatorem* genuinum et *castigatorem*, pictura thoracis et antennarum magis cum illo, colore pedum magis cum hoc congruens; imprimis autem inter feminarum *castigatoris* individua, antennis medio rufis, unum est, quod antennarum articulis 9 — 13 subalbentibus propius ad varietatem tertiam *lineatoris* accedit; lineae albae ante scutellum etiam varietati primae *lineatoris* desunt. Vix haesitarem ambas species conjungere, nisi *castigator* sem-

per pedibus antennisque gracilioribus et longioribus a *lineatore* differret. Si feminae *lineatoris* lineolis duabus albis ante scutellum carerent, *comitatori* responderent, cui antennae tantum paulo crassiores sunt; nonnullis autem individuis femininis *lineatoris* lineolae istae fere obsoletissimae sunt. Si autem mares et feminae *lineatoris* cum *comitatore* conjungerentur, *nigritarius* haud cum *comitatore* conjungi posset, ob anulum album antennarum, nulla enim ob oculos habeo individua, quibus commutatio gradaria antennarum alboannularum *nigritarii* in antennis totas nigras *lineatoris* se manifestaret — *I. bilineatus* pro varietate *lineatoris*, femoribus tibiisque rufis, lineolis albis ante scutellum deficientibus, haberi potest. — In Ichneumonologiae pagina 129 dixi, me dubium haesisse, num feminam *bilineati* cum *I. aethiope* mare conjungerem. Si vero haec conjunctio probaretur, mares *bilineati* pro varietate *lineatoris* haberi possent. Si vero *nigritarius* mas esset *comitatoris*, tunc *aethiops* et feminae *bilineati* varietates *comitatoris* esse possent. — *I. albosignatus* est varietas, scutello albo, *bilineati* maris, inter cujus individua nonnunquam quaedam inveniuntur punctis duobus obsoletis albis apicalibus scutelli — *I. opticus* varietas esse videtur *lineatoris*, lineolis albis ante scutellum deficientibus — Femina *Ichn. multicoloris* tam a mare suo, qui cum *castigatore* conjungi potest, quam a femina *castigatoris*, pedibus posticis crassioribus differt, indeque, nec non propter antennarum anulum distinctiorem album, potius cum *lineatore* conjungenda est, quippe qui etiam femoribus tibiisque rufis, nec non lineolis albis ante scutellum deficientibus, variat — *I. ferreus* et *albicillus* nihil aliud sunt quam maris *lineatoris* varietates, femoribus tibiisque rufis, margine laterali scutelli plus minus albo — *I. trilineatus* varietas est *lineatoris*, femoribus tibiisque rufis, lateribus scutelli albo-marginatis, lineis albis ante scutellum nullis, antennis paulo gracilioribus. — Ad eandem varietatem etiam *I. scutellator* referri potest — *I. restaurator* est varietas *lineatoris*, punctis duobus apicalibus albis scutelli — *I. umbraculosus*, licet antennis

pedibusque paulo gracilioribus a *lineatore* differat, tamen pro hujus varietate, marginibus lateralibus scutelli albis, lineolis albis ante scutellum deficientibus, haberi potest. — Conferantur etiam n. 23, 26, 29, 31.

7. I. CASTIGATOR, CESSATOR, FOSSORIUS m. MULTICOLOR m.

De *I. castigatore* conferre velis speciem antecedentem. — *I. cessator* est varietas *castigatoris*. Individuum unum quidem, linea longitudinali alba segmentorum 6 et 7, a *castigatore* differt, alterum autem, solo segmento 6 puncto dorsali albo, ambas species conjungit. — Mares *I. fossorii*, si scutellum album et antennis paulo breviores pauloque crassiores haud respicias, omnibus notis cum maribus *castigatoris* congruunt. Cum vero mares aliarum specierum scutello nigro et albo varient, differentia antennarum autem perexigua sit, nil est quod impedit quominus mares *fossorii* pro varietate *castigatoris*, scutello albo, agnoscam. De feminis *fossorii* conferas n. 22. — Marium *Ichn. multicoloris* alter, genuensis, puncto obsoleto pallido segmenti sexti a mare austriaco differt. Ambo autem sunt varietates, scutello albo, *Ichn. cessatoris* et *castigatoris*. — Conferatur n. 39.

8. I. ALBIMANUS, CORRUSCATOR.

I. albimanus, nisi tibiae posticas totas nigras haberet et abdomen ei nitidius esset, forsitan pro varietate *pallifrontis* agnosceretur. Hoc abdominis nitore autem *albimanus* respondet *corruscatori*, cujus varietas ille esse potest, cum *corruscator*, colore faciei et pedum, variabilis sit, statura et proportione partium autem ambae species congruant. — Conferatur n. 26.

9. I. RUBELLUS, STIMULATOR, BRUNNICORNIS, QUADRIGUTTATUS, CANDIDATUS.

Feminae *Ichn. stimulatoris* genuinae quidem coxis posticis calcaratis a reliquis speciebus discedunt, sed in varietate secunda coxae posticae jam vix

calcaratae sunt. Pedes *rubelli* graciliores sunt quam pedes *stimulatoris*; *brunnicornis* autem hac ratione medium tenet inter illas duas species. Antennae et petiolus *rubello* paulo longiores et graciliores sunt quam *stimulatori*, sed vix adeo ut characterem distinguentem praebere possint, cum hae proportionales etiam in individuis ejusdem speciei variant: *I. brunnicornis* quidem antennis totis rufis aut ferrugineis differre videtur, sed inter individua *rubelli* et *stimulatoris* quoque nonnulla antennis fere totis rufis inveniuntur. Mas *brunnicornis*, ore et facie totis fulvis, a maribus *rubelli* et *stimulatoris* discrepat; quaeritur autem, num haec differentia sola sufficiat ad speciem distinguendam, cum etiam in speciebus aliis color faciei valde mutabilis sit. — *I. quadriguttatus* statura et proportione partium, imprimis pedum, cum *stimulatore* congruit, hujusque varietas est coxis posticis muticis, punctis duobus albidis scutelli. — *I. candidatus* varietas esse potest *brunnicornis*, apice scutelli albo. — Conferantur quae ad *I. brevicornem* et *fabricatorem* monebo.

10. I. TRISTIS.

Notae, quibus haec species a reliquis distinguatur, in Ichneumonologia expositae sunt.

11. I. RUFIFRONS, DISSIMILIS.

Unicum *rufifrontis* individuum nostri musei immaturum esse videtur, colore corporis haud saturate nigro sed cum fusco et castaneo mixto. Segmenta 6 et 7 margine sunt pallidiora; si autem dorso toto alba essent, hunc *rufifrontem* pro individuo minore et immaturo *leucopygi* haberem. Melius tamen respondet feminae *dissimilis*, quae quidem pedibus paulo gracilioribus differt, sed reliquis notis bene cum *rufifronte* congruit, cui etiam, uti perscrutatio iterata me docuit, scutellum rufo-castaneum est.

12. I. CLERICUS, PEDATORIUS, DIGRAMMUS,
IRIDIPENNIS.

De *I. clerico* in Ichneumonologia dixi, eum forsā meram varietatem *fabricatoris* esse, potius autem ad *pedatorium* referri debet ejusque varietas est, scutello toto nigro — *I. digrammus* est varietas *pedatorii* maris, facie nigra orbitis internis albis — *I. iridipennis* ejusdem est varietas minor, puncto seu lineola alba ante alas. — Conferatur n. 26.

13. I. CANALICULATUS.

Forma capitis et segmenti primi hanc speciem a reliquis distinguit.

14. I. SPINIGER.

Coxis posticis calcaratis hic Ichneumon cum *stimulatore* convenit, qui autem statura graciliore et colore ab illo discedit.

15. I. BREVICORNIS.

Haec species, coxis muticis, cum *brunnicorni* congruit, antennis, cum *stimulatore*; pedibus gracilioribus ab ambobus differt magisque *rubello* respondet; sed caput majus, imprimis vertex longior, eam ab illis tribus speciebus distinguit.

16. I. ANNULATOR.

Colore tiliarum a propinquis discernitur. — Conferatur n. 28.

17. I. TIBIATOR.

A specie praecedente differt pedibus gracilioribus et aliter coloratis.

18. I. PUMILUS.

Aliae species parvae picturis etc. ab hoc Ichneumone differunt.

19. I. ALBINUS, LEUCOPYGUS, SATURATORIUS, SUBMARGINATUS.

I. albinus et *leucopygus* conjungendi sunt. Horum varietas, scutello albo, *saturatorius* esse videtur. *Submarginatus* autem est *saturatorius* segmentis 2 — 4 rufomarginatis. — Nisi *albino* et *leucopygo* maculae albae segmentorum 6 et 7 distinctissimae essent, utrumque cum feminis *lineatoris* conjungerem, quippe qui etiam capite thoraceque totis nigris variat; sed individua intermedia desunt, quibus illae species, pari modo ac *cessator* et *castigator*, inter se transirent.

20. I. TRANSFUGA.

Colore antennarum etc. a praecedente differt.

21. I. LARVATUS.

Haec species magnitudine et pictura thoracis coxarumque distincta est.

22. I. SUBSERICANS, FOSSORIUS f.

Mares *I. subsericantis*, abdomine cylindraceo opaco, differunt a feminis, quibus abdomen paene fusiforme nitidum est. Feminae, scutello et antennarum annulo albis, a feminis *castigatoris* discernuntur; cum autem color scutelli in maribus variet, hanc differentiam minus respexissem, nisi annulus quoque albus antennarum differentiam inter feminas specierum ambaram exhiberet. Inter feminas autem *subsericantis* et *fossorii* nullum est discrimen, indeque ad unam speciem referri possunt. Mares *fossorii* jam cum *castigatore* conjuncti sunt.

23. I. FUSCATUS, MONOSTAGON, PRATENSIS, SEMIORBITALIS.

In Ichneumonologia quidem *I. fuscatus*, ratione staturae et proportionis partium habita, recte cum *fabricatore* comparatur, sed plurima hujus individua minora sunt et abdomine nitidiore distincta, indeque de conjun-

ctione *fuscati* cum *fabricatore* adhuc dubius sum. *I. fuscatus* a nonnullis speciebus antecedentibus, quibuscum conferri posset, differt parte antica segmenti primi minus gibbosa. Cum vero haec pars in *I. monostago* paulo tantum latior sit quam in *fuscato*, illum pro hujus varietate, femoribus totis rufis, habere malim. — *I. pratensis* et *semiorbitalis* cum *fuscato* conjungi debent. *Pratensis* differt a *semiorbitali* genuino, statura tota paulo graciliore et parte antica segmenti primi paulo minore, a varietate *semiorbitalis* et a *fuscato*, statura multo graciliore et parte antica segmenti primi minore at gibbosiore; congruit autem cum *fuscato*, *semiorbitali* genuino et uno individuo varietatis *semiorbitalis*, segmentis 2 — 7 subtilissime punctis et plus minus ferrugineo-marginatis. Individua duo varietatis illius conveniunt cum *fuscato* statura et inprimis forma segmenti primi; alterum autem individuum hujus varietatis, segmentis 2 — 7 crassius punctis et totis nigris, ab illis omnibus discrepat. *Semiorbitalis* genuinus, ratione staturae et formae segmenti primi habita, medium tenet inter *pratensem fuscatum* et varietates suas. Si omnes differentias indicatas respicere vellem, has tres species in quinque species dissolvere possem; cum autem multae aliae species talibus differentiis varient, eas haud respiciendas esse existimo, indeque *fuscatum pratensem* et *semiorbitalem*, cum *monostago*, in unam speciem redigere mallet. Sed *luctuosus* quoque et *gemellus* ad hanc speciem referri possent, cum eis pars antica segmenti primi paululum tantum globosior sit quam *pratensi*; et, si ultra procedere vellemus, etiam *restaurator* et *lineator* cum his conjungi possent. — Conferatur n. 30.

24. I. TRUCIDATOR.

Statura tota graciliore, pedibus tenuioribus, parte antica segmenti primi haud gibbosa, a reliquis speciebus hujus sectionis differt.

25. I. OCHROPIS.

Haec species, picturis thoracis et scutelli etc., distincta est.

26. I. FABRICATOR.

Hic Ichneumon a speciebus, in Ichneumonologia cum eo comparatis, abdomine angustiore et nitidior differt. Si hanc differentiam haud respicere vellemus, *fabricator* cum pluribus aliis speciebus conjungi posset, v. c. cum *lineatore*, *albosignato*, *fuscato*, *monostago*, *trilineato*, *clerico*. Licet enim *clericus fuscatus* et *albosignatus*, pedibus quoque paulo gracilioribus, a plurimis individuis *fabricatoris* discrepent, tamen hujus speciei individua ipsa proportionem pedum variant. — Mares *I. rubelli* ad exemplaria minora *fabricatoris* propius accedunt; si autem femina, quam cum *rubello* consociavi, revera ejus femina est, ambae species haud conjungi possunt. — *I. corruscator* statura et proportione partium, nec non nitore abdominis, *fabricatori* respondet, sed colore pedum nimis ab eo differt.

27. I. MARGINELLUS.

Vertice longiore a reliquis speciebus, quibuscum conferri posset, differt.

28. I. PALLIDATORIUS.

Hic Ichneumon colore pedum et pictura thoracis quidem, ut in Ichneumonologia dicitur, cum *I. pratensi* convenit, sed exiguitate corporis, parte antica segmenti primi minus convexa, capitisque pictura, satis differt. Num forsitan pro mare *I. annulatoris* haberi possit, aliis dijudicare relinquo.

29. I. LUCTUOSUS, GEMELLUS.

I. gemellus est *I. luctuosi* varietas minor antennis subtus pallidioribus. Ambas species cum *I. lineatore* et *restauratore* conjungere cogitabam, sed petiolo longiore ab his discedunt, licet haud negari possit, *I. gemellum*, hoc respectu, quodammodo medium tenere inter *lineatorem* et *luctuosum*. — Conferatur n. 23.

30. I. LACTEATOR.

Ratione segmenti primi, cujus pars antica minus convexa est sensimque in petiolum abit, hic Ichneumon *I. fuscato* respondet, sed petiolo graciliore et praecipue colore faciei et pedum nimis differt, quam quod eum, priusquam individua intermedia reperta sunt, pro illius varietate habere possem.

31. I. DUMETICOLA.

Statura et proportione partium, imprimis forma proportione et punctura abdominis, haec species cum maribus *I. albosignati* et *trilineati*, praecipue *albosignati*, optime congruit, sed color pedum prohibet quominus eum cum illo jungam.

32. I. FUNEREUS, MELANOGASTER.

I. melanogaster est varietas *funerei*, marginibus segmentorum summis rufis. Varietas prima *melanogastri* ambas species conjungit.

33. I. PERSONATUS.

Hic Ichneumon forsitan varietas esse posset *nigritarii*, facie et antennarum annulo albis, sed pedibus paulo gracilioribus ab hoc differt.

34. I. SICARIUS.

Notae, quibus haec species a reliquis discedit, in Ichneumonologia exhibitae sunt.

35. I. LUGENS.

Si statura minore esset, pro varietate *comitatoris* haberi posset.

36. I. PROTEUS.

Si pars antica segmenti primi minus gibbosa esset, hanc speciem forsitan pro femina *I. monticolae* haberem.

37. I. L A M I N A T O R I U S.

Hic Ichneumon statura quidem et proportione partium *pallipedi* respondet, differt autem ab eo, magnitudine picturisque capitis antennarum et thoracis.

38. I. DELIRATORIUS, MULTIANNULATUS, FUSCIPES, PERILEUCUS, EDICTORIUS, BIANNULATUS, PISTORIUS, PALLIPES, VESPERTINUS.

Omnes hae species, scutello albo aut albopunctato tibiisque alboannulatis inter se congruentes, in unam speciem redigi possunt. *I. multiannulatus* et *biannulatus* a reliquis omnibus differunt quidem basi alba tarsorum posteriorum; *multiannulatus* et *mas deliratorii*, articulo primo antennarum subtus albo, a reliquis discedunt; *mas pistorii* distinguitur annulo albo antennarum; sed hae differentiae, cum in multis aliis speciebus varient, vix sufficiunt ad species illas disjungendas. Reliquae picturae albae capitis thoracis et pedum anteriorum mutabiles sunt, ipsique annuli albi antennarum *maris pistorii* variant, cum nonnullis individuis latiores nonnullis angustiores sint. Femina *perileuci* abdomine breviora magisque ovato a reliquis feminis differre dicitur, sed haec differentia quoque levis est momenti, et inter feminas *fuscipedis* et *pallipedis* nonnullae sunt abdomine aequae fere brevi atque in illa. Antennae *edictorii* breviores sunt quam antennae reliquorum specierum; sed antennae *marium pallipedis* et *perileuci* vix paulo longiores sunt quam in illo. Cum vero nonnullae species et varietates scutellum subalbonotatum habeant, e. g. femina et varietates *fuscipedis*, ac *biannulatus*, haud multum abfuit quin *fasciatus* cum his speciebus conjunxissem; omisi autem hanc conjunctionem quia *fasciatus* partem anticam segmenti primi minus convexam et sensim in petiolum angustatam habet, reliquis speciebus vero pars ista semper convexior et gibbosior est.

39. I. SALICATORIUS, QUAESITORIUS, COMPUTATORIUS.

I. computatorius et *salicatorius* in unam speciem conjungi debent, cum, per varietatem quintam *salicatorii*, transitus inter ambas species se manifestet. Ad hos Ichneumones etiam *quaesitorius* referendus esse videtur tanquam varietas femoribus tibiisque rufis. Idem *quaesitorius* vero etiam cognatus est cum *saturatorio*, *quadrialbato* et *cessatore*, differt autem a primo, corpore majore et pictura segmentorum 5 — 7, a secundo, corpore majore, antennis pedibusque crassioribus, a tertio, antennis pedibusque paulo crassioribus, et scutello antennarumque annulo distincte albis; forsitan tamen varietas est vel *quadrialbati* vel *cessatoris*, quod quidem nondum pro certo affirmare possum, cum solum unicum individuum *quaesitorii* ob oculos habeam, notis indicatis ab utroque discedens.

40. I. ANATOR, MICROCERUS.

I. microcerus, qui a feminis minimis *anatoris* nec nisi antennis totis fuscis et paulo brevioribus differt, pro hujus varietate haberi potest.

41. I. FAUNUS.

Hic Ichneumon a *saturatorio*, cui statura et proportione partium respondet, picturis capitis antennarum scutelli etc. satis differt.

42. I. QUADRIALBATUS.

Magnitudine, et pedibus antennisque gracilioribus longioribusque, a specie, quae ei in Ichneumonologia antecedit, i. e. ab *I. anatore*, discrepat. In libri excitati pagina 252 dixi quidem, antennis et pedes omnino ut in specie praecedente formatos esse, quod vero haud ad *anatorem*, sed ad aliam speciem adhiberi debet, quam antea *I. flavistigma* nominaveram et, sub numero 82, inter *anatorem* et *quadrialbatum* collocaveram, quae autem, ut postea mihi persuadebam, nihil aliud erat quam varietas feminae *I. ochropis*, segmentis 6 et 7 superne membrana albida notatis. Haec mem-

brana vero a macula alba apicali abdominis specierum sectionis quartae familiae primae Ichneumonum satis differt. — Conferantur quae de *quadrialbato* ad n. 39 monui.

43. I. LEUCOMELAS.

Ab *I. saturatorio* hic differt pictura capitis et pedum.

44. I. MOLITORIUS, CONFUSORIUS.

I. molitorius varietas est *confusorii*, segmentis 2 et 3 nigris; in ambabus speciebus enim, ceterum statura, proportione partium, colore et picturis, colore segmentorum 2 et 3 excepto, prorsus congruentibus, individua occurrunt segmentis 2 et 3 fuscocastaneis et fuscis. Haec differentia coloris eo minus nos prohibere debet quo minus ambas species jungamus, cum etiam in aliis speciebus color abdominis variabilis sit: *I. sputator* e. g. variat abdomine toto nigro et segmentis 2 et 3 rufis. *I. confusorius* autem in alias species sectionis quintae (scutello pallido, abdomine tricolore) familiae primae Ichneumonum transit, de quo conferre velis notam ad *I. gracilicornem*, pagina 292 Ichneumonologiae.

Jam adumbravi, quomodo plures species meorum Ichneumonum in unam speciem conjungi possint; forsanique nonnulli alii Ichneumones, quae adhuc tanquam species peculiares considero, aliis entomologis nil aliud sunt nisi varietates cujusdam speciei. Sin autem, in definiendis speciebus horum insectorum, illas potissimum species, quae multis varietatibus occurrunt, respicere, indeque colligere vellemus, omnes forsitan species Ichneumonum variabiles esse, mox eo pervenire possemus ut species istas fere trecentas, quas in Ichneumonologia descripsi, in unam speciem contraheremus. Quid autem tali modo agendi efficeretur, si eum etiam in aliis generibus et ordinibus insectorum adhiberemus, reputationi scrutatorum naturae commendo.

His praemissis aggrediamur ad praecipuum harum plagularum consilium, ut scilicet actum solennem indicemus, quo scepra universitatis ad successorem nostrum in munere rectoris translaturi sumus.

Suffragiis collegarum, a rerum nostrarum praesidibus confirmatis, ad munus illud in annum sequentem vocatus est

HENRICUS STEFFENS,

Med. et Phil. Doctor, hujusque Prof. publ. ord.

Vir doctissimus et clarissimus, quem laudibus singularibus hic tollere haud opus est, cum nobis omnibus et ubique in reipublica literaria, probitate animi, strenuitate ingenii, splendore eruditionis, scriptisque philosophicis, satis notus sit, cujusque facultas, Academiae bene praeesse, eo minus in dubium vocari potest, cum jam antea semel hoc munere egregie functus sit.

Inaugurabitur autem Rector novus die XIX. Octobris, hora XI, in aula Leopoldina, ad quem actum solennem virum illustrissimum, qui, speciali mandato Regis clementissimi missus, hoc tempore curam universitatis nostrae gerit, praesides rerum civilium militarium et ecclesiasticarum proceresque in hac urbe degentes, excellentissimos gravissimos, amicos omnes et fautores universitatis honoratissimos, denique vos, commilitones dilectissimi, ut audire velitis verba, quae magistratus vester hoc die ad vos diriget, ea qua par est observantia invitamus.

Datum in Universitate literarum Vratislaviensi, die VIII. Octobris anni MDCCCXXIX.

The first part of the document is a list of names and titles, including
 the names of the members of the committee and their respective
 positions. The list is as follows:

The second part of the document is a detailed report on the
 progress of the work done during the past year. It covers the
 various projects and activities that have been undertaken, and
 provides a comprehensive overview of the results achieved. The
 report is divided into several sections, each dealing with a
 different aspect of the work. The first section deals with the
 general administration of the organization, and the second
 section deals with the financial matters. The third section
 deals with the educational work, and the fourth section deals
 with the social and welfare work. The fifth section deals with
 the public relations and the sixth section deals with the
 future plans for the coming year.

The final part of the document is a summary of the main
 findings and conclusions of the report. It highlights the
 key achievements and identifies the areas where further
 work is needed. The summary is followed by a list of
 recommendations and a final statement of the committee's
 confidence in the future of the organization.